

ore potest etiam comprimi, et moveri ille, qui est in gutture, addimus quod ad illum laxandum potest motu musculorum thoracis laxare illum usque ad os, et comprimere arteriam, quæ compressa non manebit vacua, quia non totum aerem emittet, sed partem, et manebit cum parte, quia compressa arteria minori aere repletur. Nec patietur ex hoc aliquid corpus beati, quia laxatio, et compressio arteriæ non est passio, neque corruptio, neque fit per alterationem addensativam, sed per situalem compressionem, et laxationem partium, ut diximus in libris de generatione, quæst. vii, art. i, sicut palpando carnem corporis gloriosi multitudine sua aliquantum cedit, et comprimetur, et postea laxabitur. Hæc enim compressio, aut laxatio partium pure situalis, et quantitativa, ut diximus, sine corruptione fiet, quæ simpliciter sit corruptio, et ad generationem ordinetur.

## SUBTILITAS.

XXXII. Quarto inquires circa dotem subtilitatis, quid sit, et quem effectum faciat. Respondetur circa hoc errasse hæreticos quosdam ponentes subtilitatem futuram per raritatem corporis beati, ita ut maneat quasi aereum, sumentes ly subtile, prout opponitur solido aut denso, quam hæresim refert, et impugnat S. Gregorius xiv moral. cap. xxxi. De eaque convincit Eutychem patriarcham Constantinopolitanum: nam Christus Dominus Lucæ xxiv, dixit discipulis: *Palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet sicut me videtis habere.* Caro autem et ossa, quæ palpari possunt, non sunt sicut aer. Et multo fortius inde convincitur aliorum hæresis, qui dicebant corpus mutandum esse

in spiritum, quia Paulus dicit, quod surget corpus spirituale. Cæterum spiritus carnem et ossa non habet, sicut tunc corpora habebunt, et corpus spirituale non excludit corporeitatem, sed addit subjectionem ad spiritum.

XXXIII. Duæ ergo opiniones inter catholicos sunt circa dotem subtilitatis famosiores. Quidam existimant dotem subtilitatis ad hoc dari, ut possit corpus beati penetrative esse cum quolibet corpore quantumvis solido, sicut Christus exiit de sepulchro, et intravit januis clausis ad discipulos. Quæ opinio inter plures antiquos, et recentiores, est satis communis. Ejus meminit S. Thomas iii p. q. xxviii, a. ii, et q. lxxxii, a. iii eamque ex Hugone S. Victore refert, qui dixit assumpsisse Christum dotem subtilitatis, quando exivit clauso Virginis utero. Pro eadem ex scholasticis citantur plures in iv, dist. xlix, ibi: S. Bonaventura, Scotus, Bassolis, Ovandus, et alii quos citat et sequitur Ægidius tomo iii, lib. iv, q. vi, a. ii; Suarez tom. ii, in iii, disp. xlvi, sect. i, et sect. vi; Salas 1-2, q. v, a. v. tr. iv, d. xiv, sect. xix.

XXXIV. Et pro hac parte faciunt nonnulla dicta sanctorum, quæ id videntur tribuere doti subtilitatis, præsertim S. Epiphanius hæresix; Damascenus lib. iv de fide, capite ultimo; D. Gregorius xv moral. c. xxxi; D. Laurentius Justinianus lib. de disciplina, et perfectione monastica, c. xxiii, indicatque Anselmus lib. de similitudinibus, c. liii, et in prosologio c. xxv.

XXXV. Et suadet ratio; tum, quia subtile in propria acceptione, et rigore dicitur id, quod facile alia penetrat, unde illa perfectissima subtilitas per penetrationem perfectissimam explicari debet, qualis est penetratio corporum; tum, quia resistentia unius corporis ad penetratio-

nem, quod non vincatur, infirmitatis et imperfectionis est, quæ maxime ab illis corporibus tollenda est, quæ ob sui perfectionem simillima sunt spiritui, et spiritualia vocantur.

XXXVI. Contrariam sententiam defendit expresse S. Thomas in iv, dist. xliv, q. ii, a. ii; q. i, et a. iii, q. i ad tertium, correspondetque in additionibus ad tertiam partem, q. lxxxiii, a. i, et ii; idem in iv ad Annibaldum, d. xliv, a. iii, et super i ad Corinth. c. xv, lect. vi, ad finem. Sequuntur Thomistæ, ut Capreolus dist. xliv, q. iii, a. i, concl. i; Sotus dist. xlix, q. iv, articulo, vi; Valentia, Viguierius, Abulensis, et alii, quos citat Ægidius ubi supra. Tenet etiam Montesinos hic disp. viii, q. iii, in fine.

XXXVII. Pro explicatione hujus sententiæ adverte duo. Primum, quod subtile dicitur, et per ordinem ad quantitatem, et per ordinem ad qualitatem, seu quantitativam, et qualificativam. Secundum quantitatem dicitur ratione majoris penetrationis aut raritatis, quia quod subtile est magis terebrat, et penetrat. Secundum qualitatem dicitur ratione majoris purificationis, et segregationis ab eo, quod est grossum, et imperfectum, quod communiter provenit a qualitibus, seu corporibus extraneis, quæ miscentur, et ingrossant, seu imperficiunt; et sic subtile est idem, quod delicatum, aut depuratum, sicut dicitur aurum subtile, quod puriores habet qualitates auri, et quinta essentia, quæ per decocctionem, et depurationem a floribus, et herbis, aliisque corporibus segregatur, subtilior est ipsis corporibus; et subtilis ingenii dicitur, qui est acutior, et delicatior in discurrendo.

XXXVIII. Secundo adverte, non verti in dubium, quod corpora beatorum penetrari poterunt cum corporibus solidis, sicut corpus Christi

Domini januis clausis intravit ad discipulos; sed difficultas est, an iste effectus proveniat a dote subtilitatis; an immediate a divina virtute, et non mediante dote. Et potest iste effectus pertinere ad dotem subtilitatis, vel physice quia effective fit ab ipso, vel moraliter, et per quamdam consequentiam, quia fit a Deo in signum, et manifestationem hujus dotis.

XXXIX. Dico ergo sententiam D. Thomæ esse verissimam, quod subtilitatis dos per se, et physice non datur ad penetrationem efficiendam cum aliis corporibus, sed ad purificandum, et defæcandum corpora ab omni extraneo imperficiendo, quæ est subtilitas qualificativa, qua perfecte subjecta, et terminata manet materia a sua forma sine admixtione extranei impuri, et ita subtilitas in hoc sensu est idem quod puritas. Secundario tamen, et quasi modo morali datur ad penetrationem cum aliis corporibus, quatenus ad ejus præsentiam, et in signum talis dotis præstabitur penetratio illa a Deo ad voluntatem beati.

XL. Prima pars probatur ex D. Thomæ locis citatis, qui subtilitatem explicat qualificativo modo, quatenus corpus erit completissime subjectum spiritui, et ab ipso omnino terminatum, ita quod alienam, et extraneam impuritatem non admittat, sed soli animæ perfecte sit subjectum, quod etiam dicit catechismus Romanum ex decreto Tridentinæ Synodi in explicatione symboli, art. xi de resurrectione, n. ix. Et in eadem sententiam verba patrum conveniunt, ut mox videbimus. Non vero ex dote subtilitatis physice provenit penetratio corporum, nec ad id datur. Et ratio est, quia illa qualitas, vel ad hoc datur, ut quantitatem reddat penetrabilem passive cum alio corpore, vel ut active faciat penetrari quantitates in eo-

dem loco, tamquam virtus ad hoc derivata a Deo. Primum esse non potest, quia quod quantitas sit impenetrabilis cum alia quantitate, provenit ex ipsa natura dimensionum, quatenus extensæ, et terminatæ in loco, sed hæc extensio non tollitur per illam qualitatem, quia corpora beata manebunt extensa in loco, sicut patet in corpore Christi glorioso, ergo non tollitur resistentia ad penetrandum.

XLI. Nec valet dicere, quod qualitas subtilitatis aufert a quantitate corporis gloriosi distinctionem situationalem, qua una quantitas situ conatur se distinguere ab alia, et efficienter hanc distinctionem situationalem auferre potest ab alio corpore, cum quo vult penetrari. Contra enim est, quia situalis distinctio non est aliud quam repletio, et extensio in loco terminata, et adæquata loco, ratione enim talis terminationis non permittit in eodem situ, et loco aliud poni sub eisdem terminis, aut dicatur, quid aliud est situalis illa distinctio, et depulsio alterius corporis. Constat autem in corpore glorioso Christi hanc terminationem situationalem, et repletionem esse relictam: illa autem qualitas, quæ talem terminationem tolleretur, vel esset corporea, vel spiritualis. Si spiritualis, non posset permanenter esse in corpore: si corporea, connaturaliter petit esse modo corporeo; ergo extenso, et terminato situ; ergo non aufert illa situationalem terminationem. Unde sicut in sacramento eucharistiæ corpus Christi ponitur modo inextenso quoad locum non per aliquam qualitatem tollentem illam repletionem, sic sine qualitate superaddita tolleretur illa terminatio et distinctio situalis non per dotem subtilitatis. Et confirmatur, quia quando corpus nongloriosum penetratur cum alio nonglorioso idem effectus penetrationis fit quantum ad situationalem terminationem, et

distinctionem, sicut quando penetratur corpus gloriosum, sed in tali penetratione corporis non gloriosi effectus non fit per aliquam qualitatem, aut dotem subtilitatis, sed sola virtute divina mutante modos illos terminationis situationis; ergo neque in corpore glorioso.

XLII. Si vero dicatur secundum, scilicet dotem subtilitatis efficienter seu active facere hanc penetrationem, contra est quia vel illa qualitas id facit tamquam causa principalis, vel tamquam instrumentalis. Ut principalis esse non potest, quia est miraculum superans totam naturam, quod unum corpus quantitativum in eodem loco, et sub eodem termino situali ponatur cum alio, sicut quod accidens maneat separatim, vel corpus Christi non repleat locum; ad miracula autem facienda non datur virtus aliqua creata, quæ sit causa principalis, quia ut dicit S. Thomas 2-2, q. CLXXVIII, a. 1 ad primum. Eorum quæ supernaturaliter fieri possunt causa est divina omnipotentia, quæ nulli creaturæ communicari potest, et ideo impossibile est quod principium operandi miracula sit aliqua qualitas habitualiter manens in anima.

XLIII. Si vero qualitas illa, et dos subtilitatis solum instrumentaliter se habet ad penetrationem faciendam, cum instrumentum operetur ex motione principalis agentis, quæ instrumentum constituit virtuosum proxime ad agendum, oportet quod illa qualitas subtilitatis, non sit ex se proxime virtuosa ad penetrationem, sed elevabilis a Deo ad illum effectum miraculosum, sicut acuitas securis est elevabilis ab artifice ad faciendum scamnum, et character sacerdotis ad conficiendum eucharistiam. Et tunc isti qualitati assignari debet aliquis effectus, quem per se, et primario habeat tamquam dos, quia de se est quali-

tas permanens, sicut acuitas effectum permanentem habet in securi præter elevationem artificis ad faciendum artefactum. Et sic dicimus, quod dos subtilitatis habet effectum permanentem in corpore beati in ordine ad se, scilicet subtilizare ipsum, et purificare ab omni impuritate extranea, et deinde poterit assumi ut instrumentum a Deo ad penetrationem cum alio corpore, ut magis infra ostendetur, et in solutione argumentorum. Quamvis quia non constat per dicta sanctorum, vel Scripturæ, quod dos subtilitatis sit instrumentum physicum ad faciendam penetrationem, hoc enim nulla res habet ex sua essentiali quidditate, sed ex sola voluntate divina, quæ potest ad opera miraculosa facienda uti instrumento, quo voluerit, ideo non habemus fundamentum ad dicendum quod dos subtilitatis consistit in hoc quod sit instrumentum physicum ad faciendam penetrationem corporum, bene tamen quod sit quasi morale, quia ea posita in corpore beati, Deus sua virtute juxta beati voluntatem eam facit in signum, et manifestationem talis dotis, ut ex secunda parte conclusionis constabit.

XLIV. Secunda ergo pars conclusionis, quod secundo detur subtilitas ad penetrationem corporum, et sit quasi effectus moralis ejus, in quantum penetratio ista fit a Deo in manifestationem dotis subtilitatis, sumitur ex D. Thoma III part. quæst. XLV, a. 1 ad tertium, ubi inquit: « Quod inter quatuor dotes sola claritas est qualitas ipsius personæ in se ipsa, aliæ vero tres dotes non percipiuntur, nisi in aliquo actu, vel motu, seu passione. Ostendit igitur Christus in se ipso aliqua illarum trium dotium judicia, puta agilitatis, cum supra undas maris ambulavit; subtilitatis, quando de clauso utero virginis exivit; impassibilitatis,

quando de manibus Judæorum, vel præcipitare, vel lapidare eum volentium, illæsus evasit. » Ecce ponit S. Thomas penetrationem corporis Christi cum clauso utero Virginis, indicium fuisse dotis subtilitatis: ergo in sententia D. Thomæ penetratio corporum aliquo modo pertinet ad dotem subtilitatis, et est effectus ejus, saltem secundo, et moraliter; alias quomodo esset indicium ejus.

XLV. Consentiant verba Epiphani haresi XX supra citati, ubi postquam dixit quod corpus suum Christus in spiritualem subtilitatem transmutans ingressus est per fores oclusas, subdit: « Quomodo igitur ingressus est foribus conclusis? Ut ostenderet quod corpus quidem esset quod videbatur, et non spiritus; verum corpus spirituale subtilium partium, quod aliquando crassarum partium fuerat. » Ecce nostram sententiam ex Epiphano; ideo ingressus est corpus Christi januis clausis, ut ostenderet illud corpus esse verum, sed partium subtilium, et non crassarum sicut ante. Subtilitas ergo crassitatem illam expungit, et purificat, deinde in ejus subtilitatis indicium, et manifestationem fit penetratio; quod totum S. Thomas dicit. Ad hæc Damascenus libr. IV fidei, capite ultimo: « Resurget, inquit, corpus spirituale, immutabile, impassibile, subtile, hoc enim designat spirituale, quale Domini corpus post resurrectionem clausis portis ingreditur. » Designatur ergo, seu manifestatur subtilitas, et spiritualitas illa per penetrationem corporis gloriosi, et ita penetratio hæc ad manifestationem dotis illius spectat. Hoc enim, et non amplius significant alii patres supra citati, qui adhuc minus clare loquuntur: significant enim futuram libertatem in illis corporibus, ita ut nihil eis obsistat, quod

pervium non sit, quod vero id ex dote subtilitatis proveniat, aut quomodo proveniat, an per se, et physice; an solum secundario, et moraliter, non dicunt.

XLVI. Quod vero dicit Ambrosius super caput xxiv Lucæ, libr. ix: « Non per incorpoream naturam, sed per resurrectionis corporeæ qualitatem usus clausa Dominus penetravit, » non significat se loqui de qualitate prædicamentali, qua physice fiat penetratio, sed de vero corpore glorificato, et in statu gloriæ (quem statum qualitatem vocat) cui debetur ut penetrari possit cum alio, quando voluerit. Unde ly per qualitatem, non designat rationem formalem, seu id quo fiat penetratio, sed rem ipsam, seu corpus gloriosum, quod penetratur, et erit verum corpus, non incorporea natura, ut aliqui hæretici dixerunt, contra quos agit ibi S. Ambrosius. Statim vero subdit de subtilitate: « Seminatur, inquit, corpus animale, surget corpus spirituale, sed illud subtilius, hoc crassius, utpote adhuc terrenæ labis qualitate concretum. » Si ergo crassum, quod opponit subtili, est esse concretum terrenæ labis qualitate, esse ergo subtile est ab illa qualitate esse purificatum: hoc ergo facit subtilitas in corpore beato, reddere illud ad omni impura extraneitate liberum, quod est manere illud corpus perfectissime subjectum, et terminatum ab anima, cum nihil de alieno termino, et concrectione relinquat.

XLVII. Et ratio hujus inde deducitur, quia revera utrumque convenit corpori glorioso, et utrumque recte adaptatur doti subtilitatis, nec per aliam fieri potest; ergo illi tribuendum est. Antecedens constat, nam corpus glorificatum debet exuere omnem, infirmitatem, et ignobilitatem, dicente Apostolo: *Seminatur in infirmitate, surget in*

*virtute; seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* Est autem magnæ infirmitatis, et ignobilitatis, quod corpora misceant impuritates extraneas, et non illis obstant, aut non admittant. Unde et humidum radicale, quod per cibos aliaque extrinsecus advenientia paulatim degenerat, cibo arboris vitæ purificaretur in statu innocentiae, et ad primam suam puritatem rediret; multo ergo magis corpus gloriosum, non solum a passione, et alteratione ciborum debet esse alienum, quod sufficienter præstat per dotem impassibilitatis, sed ab omni terrenæ labis concrectione liberum esse debet, sicut est in hac vita hoc crassum corpus, ut dicit Ambrosius. Ab ista autem concrectione non potest purificari, et defæcari, nisi per dotem subtilitatis, quæ purificationem illam faciat; impassibilitas enim solum obsistit corruptioni, et alterationi, sive ab extrinseco, sive ab intrinseco; posset autem admittere corpus alias impuritates, licet ab eis non corrumpetur, sicut in damnatis erit multiplex fæculentia, nec tamen corrumpentur. Ergo præter impassibilitatem, quæ tollit omnem corruptionem oportet subtilitatem ponere, ut ab hac concrectione impura purificet, et liberet.

XLVIII. Deinde vero, ut non obstat corpori glorioso corporea moles aliorum corporum, sed omne sit ei pervium, dabitur a Deo penetratio ad nutum beati. Tum, quia id habuit corpus Christi gloriosum penetrando sepulcrum, et fores clausas, illi autem corpori reliqua conformantur; tum, quia beati ad nutum poterunt per cælos discurrere, quos tamen non dividit, quia solidi, et incorruptibiles sunt, ergo penetrabunt. Idem ergo poterunt circa alia corpora. Non tamen id physice fiet per dotem subtilitatis, quia miraculosa res est, et ad miracula non

datur virtus creata permanens, sed in ostensionem ipsius virtute divina fiet.

XLIX. Ad argumenta sententiæ oppositæ patet ex dictis. Ad auctoritates enim patrum jam diximus, quomodo intelligendæ sunt ex secunda parte nostræ conclusionis, et ex verbis ipsorum. Ad primam rationem dicitur, quod in toto rigore subtile non solum sumitur quantitative, prout opponitur obsistentiæ molis corporeæ, sed etiam qualitative, prout opponitur crassitudini impuritatis extraneæ, a qua etiam liberari debet corpus gloriosum. Ad secundam dicimus, quod illa obsistentia quantitatis tollitur per penetrationem, sed penetratio non potest fieri physice in virtute alicujus qualitatis permanentis, sed fit sola virtute divina ad manifestationem hujus dotis, uti dictum est; oportet autem ponere dotem, quæ subtilizationem reddat illud corpus per purificationem ab omni extranea impuritate.

## AGILITAS.

L. Circa dotem agilitatis non est specialis difficultas. Est virtus addita virtuti motivæ corporis tanta efficacia, ut possit cum omni celeritate, quo voluerit anima movere corpus, sive sursum, sive deorsum, sive progressive, super aerem, et super aquas, et super quodlibet corpus, non tamen potest motum facere in instanti, quia huic obstat ipsa natura, et quidditas motus, quæ successive vincit distantiam extremorum, non simul et in instanti, id enim si fiat successione carebit, ergo et motu. Non tamen ista virtus, et dos agilitatis tollet gravitatem, et pondus naturale corporis mixti et terreni, hæc enim est proprietas illius, qua non carebit beatus, sicut

neque quantitate, et lineamenti debitis, et mixtione. Sed per illam majorem et supernaturalem virtutem agilitatis impediatur unus, et actus illius gravitatis, non omnis, sed tantum qui onerosus sit beato, et contra ejus voluntatem, sed poterit virtute agilitatis uti gravitate corporis, cum voluerit descendere temperando illam, aut etiam addendo, ut magis vel minus velociter descendat, si voluerit simplici motu, et non organico deferri: aut etiam totaliter impedire poterit usum gravitatis, si voluerit ascendere, sicut ascendit Christus.

## CLARITAS.

LI. Quinto inquires, utrum claritas, quæ in corporibus gloriosis erit, sit vera lux ejusdem speciei cum nostra; an diaphaneitas, seu perspicuitas, vel color, seu nitore exterior; et an sit supernaturalis. Respondetur in corpore beato omnia ista concurrere. Nam quod habitura sint colorem patet, quia est propria qualitas corporis humani ex mixtione primarum qualitatum proveniens, valdeque pertinet ad pulchritudinem humani corporis, quæ est recta dispositio membrorum, cum coloris suavitate. Unde et fuit in corpore Christi resurgentis, sicut dicit S. Thomas III part. quæst. LIV, art. III ad primum: « Fulgor, seu claritas corporis gloriosi, est secundum colorem humano corpori naturalem, sicut vitrum diversimode coloratum recipit splendorem ex illustratione solis secundum modum sui coloris. » Erunt etiam pervia, seu perspicua, ut docet S. Thomas in IV, distinct. XLIV, quæst. II, art. IV, quæstiunc. I ad secundum, et respondet in additionibus, quæst. LXXXV, articul. I secundum, ubi ex D. Gregorio XVIII moral. cap. xxxi exponente illa